



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. XIII. Vtrum actus inhærentis iustitiæ, saltem perfectæ dilectionis, vel
contritionis, ex natura sua folmaliter excludat peccatum sine alia
remissione Dei?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

raui in effectu secundario priuatio expellendi formam contrariam. Positiui autem effectus formales secundarij, & in ipsa distincti à primario non inueniuntur sine resultantia quasi effectiua vnius effectus ex alio, sicut passio resultat ex essentia, vel relatio ex fundamento (si ab illo in re distinguitur) & tunc & ipsamet resultantia, & effectus resultans pendet ab speciali, & immediata cooperatione Dei propter generalem dependentiam à prima causa.

14. *Secundum fundamentum pergit.* Prima vero consequentia totius argumenti, & quod hæc doctrina sit cū proportionem obseruanda in hoc effectu excludendi peccatum, probatur, quia est effectus secundarius iustitiæ inherens: nam est distinctus à primario, ut in capite precedenti ostensum est, & est consequens illum connaturaliter, ut proxime diximus, & est talis effectus, qui in nobis vere fit, ut c. 11. ostensum est: ergo per se, & immediate pendet ex aliquo influxu Dei, quamuis debito tali formæ ex vi primarij effectus, quia est ad aliquid naturaliter consequens ad illam, sicut calori debetur suspensio influxus, quo frigus conseruabatur. Imo in hoc effectu remissionis peccati interuenit noua, & specialissima ratio dependentiæ à Deo, quia ille fuit per peccatum singulariter offensus, & ideo ab illo maxime pendet peccati remissio, sine qua non potest peccatum excludi, ut in capite sequenti latius dicemus. Hic autem influxus Dei esse debet proportionatus effectui. Nam quia destructio peccati præcisè sumpta non est positiua mutatio, sed expulsiua, ideo ad illam non requiritur specialis influxus Dei per modum cōcursus realis, & positiui. Deinde peccatum habituale, seu, esse in peccato, prout addit aliquid ultra priuationem gratiæ, seu iustitiæ inherens, non est esse physicum, sed morale per relationem ad actum præcedentem, & ideo ut expellatur, non est necessaria suspensio alicuius diuini concursus, seu influxus physici, quo peccatum conseruaretur, quia habituale peccatum, maxime quoad formale eius, non conseruatur à Deo. Igitur ille concursus Dei solum per modum moralis actionis, & remissionis intelligendus est, consistitque ex parte Dei in sola voluntate destruendi peccatum in homine, ex qua moralis mutatio in homine resultat, per quam ab illo expellitur peccatum. Neque inde fit, hunc esse fauorem extrinsecum Dei, quia licet, ut est actus voluntatis Dei, sit extrinsecus, tamen immediatus effectus eius est in homine, ut supra declarauimus. Et ille actus voluntatis Dei est ex natura rei connexus cum voluntate infundendi iustitiæ, & debitus connaturaliter eidem iustitiæ, & ideo non reputatur nouus fauor extrinsecus, sed tanquā idem cum voluntate infundendi iustitiæ. Et ita omnia & inter se, & cum doctrinis Patrum, & Conciliorum optime consonant.

15. *Respondetur ad fundamenta opposita opinionis ad Concilium Tridentinum.* Ad argumenta contrariæ sententiæ facilis est responsio. Ad verba enim ex Concilio Tridentino induta in primis dicimus, esto in illis non declaretur hæc causalitas inherens iustitiæ, tamen per illa non excludi, & per alia sufficere indicari. Deinde, licet remissio peccati sit effectus formalis inherens iustitiæ, est tamen secundarius, & distinctus aliquo modo à primario, & ideo recte dictum est, cum vno effectu darialium, vel cum infusione iustitiæ dari remissionem peccati, quibus verbis insinuat, est distinctio, ut supra notauimus, & specialiter posita fuerunt contra hæreticos dicentes, iustificationem in sola remissione peccatorum consistere, & ideo optime dictum est, cum illa infundi dona. Ad secundum respondetur, peccatum quidem non dicere formam realem positiuam gratiæ contrariam, nihilominus tamen vltra priuationem physicam gratiæ addere moralem deformitatem, iniuriam, & auersionem à Deo permanentem in homine, quandiu gratia caret, quia licet gratia physice, & immediate opponatur ipsi priuationi, tamen consequenter, & secundario opponitur deformitati peccati, quia sicut actus peccati habet defor-

mitatem moralem annexam, ita etiam iustitia infusa habet ex natura sua simul cum effectu physico aliquos effectus morales, ratione quorum opponitur statui peccati, etiam secundum moralem rationem eius. Vnde fit, ut licet iustitia infusa, & inherens immediate expellat physicam priuationem gratiæ, consequenter etiam expellat formaliter totum id, quod propriam rationem peccati habet.

Et ita responsū est ad tertiam rationem: nam licet esse physicum, & morale sint diuersæ rationis, & ordinis, nihilominus saepe sunt inter se connexa vinculo etiam connaturali, & inde fieri potest, ut forma physica habeat ex natura sua repugnantiam cum aliquo esse, seu defectu morali. Et inde facilius etiam est responso ad quartum, in quo postulatur, quomodo peccatum gratiam, vel charitatem corrumpat, quod solet tractari præcipue de peccato actuali, non pertinet tamen ad præsentem locum, sed in libro 11. disputandum est. Nunc autem sermo est de peccato habituali, sed quod permanet transacto actuali, & de illo dicimus ex natura sua repugnare formaliter inherenti iustitiæ, quatenus auertit hominem à Deo, ad quem conuertit iustitia. Est tamen diuersitas, nam iustitia primario confert formaliter physicam conuersionem, consequenter vero etiam moralem. Peccatum vero formaliter, ac per se primo consistit in auersione morali, consequenter vero, & quasi materialiter etiam physicam auersionem includit. Ethoc satis est, ut peccatum, & gratia se se inuicem formaliter excludant, licet diuerso ordine, ut sic dicam, nam peccatum inducendo auersionem moralem, consequenter inducit priuationem physicam gratiæ, iustificatio vero è conuerso inducendo physicam conuersionem, & perfectionem iustitiæ, consequenter excludit etiam moralem auersionem peccati. An vero hæc conuersio tam necessaria sit, ut de potentia absoluta possit vnus effectus ab alio separari, infra est disputandum.

CAPVT XIII.

Vtrum actus inherens iustitiæ, saltem perfecta dilectionis Dei, vel contritionis ex natura sua formaliter excludat peccatum sine alia remissione Dei.

EX dictis in præcedentibus capitulis facile colligi potest, formam inherentem, ac formaliter excludentem peccatum esse habitualem iustitiæ in-
fusam, tamen quia de actuali est hoc tempore specialis controuersia, illā prius expediemus, ut ita melius
concludamus vnicam formam, etiam quoad effectū expellendi peccatum, esse habitualem iustitiæ, & per se solum ad id sufficere. Circa actum vero iustitiæ infuse duplex occurrit questio, vna est, an sit aliquis actus gratiæ ita perfectus, ut sola sua vi, aut physica informatione sine alia remissione Dei expellat peccatum? alia est, an huiusmodi actus saltem sit talis forma, quæ connaturaliter expellat peccatum, interueniente remissione Dei sibi debita, seu connaturaliter adiuncta? Hanc posteriorem questionem tractabimus in capite sequenti, in hoc priorem disputandam proposuimus; quia licet ex parte sit iam definita, & in c. 10. 3. partis disp. 4. ex professo eam tractauerim, nihilominus ad complementum huius materiæ, & ad respondendum nouis obiectionibus, magisque veritatem confirmandam, necessaria visa est. Aduerto autem, quæstionem hanc diuersam esse ab illa, quam c. 8. & 9. tractauimus, quia licet supponamus, solum actum charitatis non conferre animæ formaliter illam internam renouationem, quæ ad iustificationem simpliciter necessaria est, adhuc potest esse questio, an saltem conferat eam rectitudinem, quæ ad expellendum
formam.

formaliter peccatum sufficit, & in hoc sensu tractatur haec quaestio in praesenti.

2. Affirmans opinio.
In qua est quaedam opinio affirmans, quendam actum iustitiae erga Deum nimirum actum dilectionis Dei super omnia, & perfectam contritionem, quae illam includit, esse formam ita per se sufficientem ad expellendum peccatum, ut sola sua informatione physica peccatum excludat sine alia cooperatione, vel remissione libera Dei. Quia impossibile est, talem actum esse in homine, & peccatum non excludi, Neque nulla alia remissio necessaria est. Hanc sententiam late defendit P. Vazquez 1. 2. disp. 203. per totam, & tamen in fine suam sententiam dupliciter limitat, cum ait, se solum contendere, esse probabile, contritionem formatam dilectione Dei super omnia, ex se tantum virtutis esse, ut sine gratia habituali, & sine novo favore ei accedente, nos possit iustificare de potentia, si separaretur ab habitu. In quibus verbis nec illam simpliciter affirmare audeat, sed tantum esse probabilem; nec dicit de facto ita fieri, sed de possibili, seu ex hypothese, si separaretur ab habitu. Unde adiungit, quod de facto hominibus iustificatus infunditur habitus gratiae secundum verum, ait, & contritionem sententiam, licet hactenus non sit descriptum, multo melius illi tribuitur in iudicatione a peccato, quam actui, ut in omnibus iustificatus per eandem formam iustificatio fiat, quantumvis, ut supra notavi, hanc ipsam limitationem in 3. p. disp. 2. c. 6. retractaverit, nam etiam de facto vult certius esse in adultis, qui iustificatur extra sacramentum, & emundationem a peccato fieri per contritionem, ut formam, quam per gratiam habitualem. Et certe omnia, quae allegat, vel hoc probant, vel nihil, ut infra ostendamus.

3. Auctoritas.
Vt ergo suam sententiam probabiliter faciat, plures refert auctores, nonnullos ex his, qui scripta sua typis mandant, plures vero ex alijs graubus Theologis nostri temporis, quos vel illam sententiam docuisse, vel illi subscripsisse dicit. Sed de his posterioribus Theologis quid sentiant, vel quid, aut quomodo docuerint, nihil certi dicere possum, quia nec illorum verba audire, nec scripta legere licet, nec deest recentior illo scriptor, qui eorum sententiam partim aliter referat, partim aliter interpretetur. Ex prioribus autem Theologis duos tantum inuenio, qui aliquid ad causam faciunt, unus est Iansenius, qui negat, actum dilectionis esse causam disponentem ad obtinendam remissionem peccati, & consequenter indicat esse causam formalem; an vero in eo sensu loquutus sit, quem nunc tractamus, vel in alio examinando capite sequenti, mihi non constat, quia ipse non declarat, parum autem refert, nam de illius sententia factis in dicto cap. 8. dictum est. Alius auctor est Ioannes Vincentius, qui sententiam suam in alio sensu diuerso, & non minus singulari explicat, & ideo distinctius illam tractare visum est, quod cap. 15. praestabimus.

4. Primus fundamentum ex Scripturae testimonijs.
Fundamenta primae sententiae consistunt primo in testimonijs Scripturae sacrae, in quibus per varios loquendi modos hic effectus expellendi peccatum dilectioni, seu charitati tribuitur. Et praeter ea, quae supra cap. 8. retulimus, adduntur alia, in quibus de remissione peccatorum fit specialis mentio. Quale est illud 1. Petr. 4. Charitas operit multitudinem peccatorum, idem autem est operire, & tegere, & tegere & remittere. Loquitur autem Petrus de charitate continuo habenda, ad quam exhortatur, quae actualis sine dubio est. Item Luc. 7. dilectio dicitur causa remissionis peccatorum, Remittuntur ei peccata multa, quia dilectus multum. Et Ezechiel. 18. dicitur, Si impius auerit se ab impietate sua, &c. ipse animam suam vivificabit, utique suo actu, tanquam forma expellente mortem peccati. Secundo allegatur Concilium Trid. sess. 14. cap. 4. quatenus dicit, contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare.

5. Tertium fundamentum ex Patrum.
Tercio afferuntur similia testimonia Sanctorum, primo Gregor. homil. 33. in Euang. dicentis, dilectio

nem esse ignem, & peccatum rubiginem, quam ignis charitatis consumit, & loquitur de actu, nam exponit illa verba, remittuntur ei peccata multa, quia dilectus multum. Secundo, eadem metaphora ignis purgantis omnia, explicat vim dilectionis Chrysostomus hom. 7. in 2. ad Timot. Tertio, Hieronym. epist. 27. de contritione dicit, Quae peccata stertus iste non purgat? quas inveteratas maculas haec lamenta non abluit? Quarto, nomine Augustini dicitur serm. 11. ad fratres in cremo. Accipite contritionem, quia sanitas animarum est, remissio peccatorum est, sacrificium spirituale est. Et infra dicitur animam sanctificantem, & infra. Peccatorum morbum expellens. Quinto, Augustinus lib. de Morib. Eccles. cap. 12. Qui separatur a Deo, dilectione redit in Deum, & infra dicit, charitas sanctificans, & tract. 9. in 1. canon. Ioann. Diligendo (ait) amici facti sumus, sed inimicos ille dilexit, ut amici efficeremur. Et infra, Anima nostra feda est per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur, ut alia multa loca omittam, in quibus charitatem Augustinus vocat animae pulchritudinem, & iustitiam, quae sanctificamur, quae in superioribus tractata sunt. Sexto, Ephrem. lib. de Iudicio, & compunct. circa finem to. inquit. Compunctio sanitas animae est, illuminatio mentis est. Septimo allegatur Bernard. in lib. de Modo bene vivendi serm. 10. quia dicit, Compunctio cordis sanitas est animae, compunctio lacrymarum remissio est peccatorum, & similia. Octavo addere possumus Ambrosium in Psal. 50. ad illa verba, Peccatum meum contra me est semper, dicentem. Charitas abscondit errorem, & operit multitudinem peccatorum. Multa quoque charitas remittit, etiam ipsa peccata sicut scriptum est. Remissa sunt ei peccata multa, &c. Et in Psal. 118. octonar. 15. vers. ult. Charitas culpam & omnia peccata mortificat, charitas mortis idus interimit. Denique morimur flagitijs, atque peccato, dum Domini mandata diligimus. Et octonar. 16. vers. ult. tractans illud. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Si immaculatus es, inquit, tu, qui in lege Dei ambulat, utique conuersus eris, qui diligit Dei legem: ergo lex immaculatum facit, recte charitas operit multitudinem peccatorum, quia plenitudo legis charitas est. Denique epist. 37. in fine. Adificatio charitatis (ait) nimiam offensionis excludit, & obstruit. Et similia in Patribus passim inveniuntur.

6. Quartum fundamentum ex rationibus.
Quarto principaliter adducuntur rationes, quae ex duobus capitibus, seu principijs praecipue sumuntur. Vnum est, actum amoris esse veram sanctitatem, & iustitiam; aliud est, actum contritionis, seu dilectionis Dei super omnia respectu Dei esse satisfactionem ad aequalitatem pro peccato, & in homine reparare omnia damna, quae peccatum intulerat. Prima ergo ratio principalis est, quia forma sanctificans animam expellit peccatum; sed actus charitatis sola sua vi, & natura sanctificat animam: ergo. Maior probata est capite praecedenti. Minor autem rationibus cap. 8. adductis suaderetur. Altera via principalis argumentandi est, quia actus amoris Dei super omnia satisfacet Deo, quantum peccatum offendit, & in homine reparat omnem inordinationem. Prior pars probatur, quia dilectio Dei super omnia formaliter opponitur peccato quoad potissimam eius deordinationem contra Deum, quia peccatum mortale consistit in auersione a Deo per conuersionem ad creaturam, dilectio autem Dei est conuersio ad Deum cum recessu a creatura: ergo tantum bonitatis est in amore ad placandum Deum, quantum fuit malitiae in peccato ad offendendum illum: ergo est satisfactio tam efficax ad expellendum peccatum, quam fuit iniuria Dei per peccatum ad expellendam gratiam. Probatur prima consequentia, tum quia non potest summa malitia actus peccati excedere summam bonitatem contrarii actus, utique dilectionis, cum non sit nisi priuatio: tum etiam quia sicut peccatum habet infinitatem ex parte Dei offensa, ita dilectio habet similem infinitatem ex parte bonitatis Dei dilecti. Secunda item consequentia probatur, quia altioris ordinis est dilectio charitatis, quam

peccatum, cum hoc sit ex defectu nature, & illa ex excellentia, & virtute gratiæ, saltem auxiliantis: ergo est in actu amoris proportio, vel etiam excessus, ut Deo satisfaciatur.

7. Altera vero pars, nimirum, actum dilectionis reparare in homine omnem inordinationem, quam peccatum induxit, probatur ex eodem principio, quod actus dilectionis formaliter opponitur peccato, ut peccatum est, & non est minus efficax ad reordinandum hominem, quam fuerit peccatum ad deordinandum illum. Vnde sicut actus peccati, cum cessat, relinquit in homine auersionem habitualemente Deo (quæ non est habitus phisicus, sed ipsemet actus morali modo permanens per modum habitus, & ideo dicitur formaliter expellere habitualemente conuersionem ad Deum, si antea inerat) ita est conuersio actus amoris, cum intermittitur, relinquit habitualemente conuersionem ad Deum, quam vi sua, & formaliter imprimit moraliter, etiam si alius habitus phisicus non infundatur. Vnde colligitur Vazquez supra cap. 5. ratione 5. n. 4. iustificationem, quæ fit per actum, firmiorem, & stabiliorem esse (ut sic dicam) quam illam, quæ fit per habitum: nam si Deus iustificaret peccatorem per solum habitum sine actu eius, & postea auferret illi habitum sine culpa eius, ille non maneret iustus, quia Deus abstulisset ab eo totam iustitiam; at vero si fuisset iustificatus per dilectionem, etiam si priuaretur habitibus sine peccato, maneret iustus, quia illa moralis reuerentia, quæ manet ex actu præterito non retractato non potest a Deo ipso auferri. Sicut non potest non esse iustior, qui plura iuste operatus est, etiam si priuatur augmento habitus.

8. Confirmatur primo: nam saltem in homine adulto, qui solum habeat peccatum originale, erit hic actus sufficiens ad expellendum peccatum illud, quia efficacior est propria conuersio per voluntatem propriam, quam auersio per voluntatem capitis. Confirmatur secundo, quia si homo existens in peccato immediatè eleuaretur ad videndum Deum, & amandum sine vilo habitu, eo ipso maneret iustus, & innocens à peccato, quia impossibile est, esse beatum, & manere in peccato: ergo tunc ille actus amoris formaliter excluderet peccatum: ergo etiam nunc excludit illud, quia amor viæ in substantia est æquè perfectus; imò eiusdem rationis cum amore patriæ.

9. Nihilominus dico primo. Nullus est actus voluntatis operantis ex auxilio gratiæ, qui per se ipsum, & ex sola inhaesione, seu informatione reali, & phisica peccatum ab homine expellat, nisi Deus speciali, & noua misericordia illud remittat. Hanc assertionem tractauimus in 1. tomo tertiæ partis disp. 4. sect. 8. & ideo hic non repetam ibi dicta, sed breuiter, & per capita fundamenta perstringam, & siquid noui occurrerit, adungam. Et aduerso assertionem positam esse rantum de facto, nam de possibili dicemus in secunda. Deinde probatio restringenda est ad actum contritionis perfectæ, seu formatæ per dilectionem Dei super omnia, & ad ipsam dilectionem: nam si alicui actui potest tribui illa causalitas, maxime tali contritioni, vel dilectioni, ut etiam auctores contrariæ sententiæ supponunt, & est per se notum. Si ergo de his actibus probetur assertio, erit sufficienter de omni actu, & absolute, ut proposita est, confirmata. Primum ergo fundamentum assertionis est, quia in Scriptura diuina contritio, & remissio peccatorum numerantur, & distinguuntur ut duo beneficia, quorum primum est medium ad obtinendum secundum, & secundum promittitur habenti primum, & intuitu illius, licet ex noua gratia, & misericordia. Hæc autem omnia vera esse non possunt, si actus contritionis, vel dilectionis existens in voluntate eo ipso necessario excluderet ab homine peccatum: ergo affirmari non potest secundum Scripturas, contritionem per se habere talem vim. Consequentia optima est, & certa. Minor vero ex terminis est euident, quia infundere

formam, & dare intrinsecum, ac phisicum effectum eius, non sunt duo beneficia, neque in collatione talis effectus noua misericordia ceritur; imò, cum talis forma har dependenter à subiecto, neque noua efficientia Dei ibi ceritur: ergo è contrario, cum remissio peccati sit nouum Dei beneficium, & specialis misericordia etiam supposito tali actu, manifestum est, actum illum de se, & ex vi suæ informationis non excludere peccatum.

Superest ergo, ut primum fundamentum, ac principium assumptum probemus ex diuinis Scripturis. 10. Primum testimonium sit illud Zachar. 1. & Ioel. 2. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Vbi Deus vnum ab homine postulat, & aliud promittit. Postulat autem ab homine liberum motum in Deum, & ideo dixit Concilium Trident. sess. 6. cap. 5. quod per illa verba: *bertatis nostra admonemur*, ille autem motus non est, nisi contritio perfectæ, cum quia nullus alius actus est vera conuersio in Deum, maxime in illo homine, qui antea erat auersus: tum etiam quia nulli alteri motioni in Deum promissa est per se remissio peccatorum, nisi contritioni charitate formatæ, ut tradit Concilium sess. 14. cap. 4. Et ideo Leo Papa epist. 91. ad Theodor. hanc vocat veram conuersionem dicens: *Misericordia Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem non patitur venter mortem vera conuersio, dicente Prophetas, cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris.* Vnde etiam constat, quid Deus promittat, cum dicit, *Ego conuertar ad vos*, promittit enim veniam peccatorum ex sua misericordia, ut Leo Papa tacite declarat, & ex loco Isaiæ, quem allegat, colligitur, & expresse Isai. 35. *Reuertatur ad Dominum, & miseretur eius, quia multus est ad ignoscendum.* Et in eodem loco Ioel. 2. satis explicatur, cui additur, *Quia benignus, & misericors est, & prestabilis super malitia Dñs Deus noster.* Idè sumitur ex illo Ier. 3. *Conuertimini filij reuerteretis, & salvabo vos.* Et Eccl. 17. *Quia magna misericordia Dñi, propitiatus illius conuerentibus ad se, id est, his, qui conuertuntur ad ipsum utiq; per veram contritionem.* Propter qd de Deo dicitur Ps. 146. *Qui sanat contritos corde.*

Solent autem hæc, & similia testimonia multis modis eludi tam ex parte conuersionis, quæ ab homine postulatur, quam ex parte promissionis. Primo enim dicunt aliqui, ubique Scriptura promittit remissionem peccatorum propter poenitentiam, non loqui de poenitentia perfectæ, sed de alijs actionibus minus perfectis, quæ solent remotè antecedere ad impetrandam à Deo veniam, ut sunt oratio, elemosyna, ieiunium, timor aliquis, & dolor de peccatis, vel etiam amor saltem imperfectus. Et ad hoc suadendum inducunt illa Scripturæ testimonia, in quibus plura ex his operibus postulantur, ut ieiunium Ioel. 2. observatio mandatorum Ezechiel. 18. & opera misericordiæ Isai. 1. Sed hæc responsio, si testimonia omnia attente considerentur, nullo modo potest satisfacere. Primo quia est extra communem sensum Patrum, & Theologorum, ut in materia de Poenitentia dixi, & videri potest Bellarminus lib. 2. de Poenitentia cap. 12. Secundo ex vi verbi, *conuertimini ad Deum*, præsertim quia Ioel. 2. additur *Conuertimini ad me in toto corde vestro, & scindite corda vestra*, &c. quibus verbis solet in sacra Scriptura significari perfectæ conuersio per contritionem, vel amorem super omnia, ut est communis sensus Theolog. & ex propria materia suppono. Accedit, qd alijs locis illa conuersio nomine contritionis significatur, ut dicto Psal. 146. & Psal. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.*

Tertio ex infallibilitate promissionis, quæ tam est certa, ut posita illa conuersione hominis, venia ex parte Dei nullas moras patiat, ut dixit Leo Papa, & sumitur ex verbis, quibus similis promissio fit Isai. 1. *Et venite, & arguite me, dicit Dominus, si fuerint peccata vestra, ut locum, quasi nix dealbabitur.* In illo tamen loco plures actiones ante illam promissionem postulantur, quæ ad observationem mandatorum Dei, & vitæ mu-

7. Caput alterum probationis.

8. Duplex confirmatio.

9. 1. Assertio. Nullus actus ex gratia procedens se ipso sine speciali Dei auxilio expellit peccatum.

Assertio pro cedit de lege ordinaria Aduertendum.

Primum assertionis fundamentum.

mutationem pertinent, quod etiam Ezechiel. 18. & 33. obferuare licet. Sed illa non proponuntur, quia necessario in vltu; & exercitio antecedere debeant ante peccatorum veniam, sed vt distincte ostendatur, qualis conuersio postuletur, nimirum, quæ virtute, & proposito omnes illas actiones contineat. Est ergo sermo de perfecta conuersione, & ideo respectu illius absoluta est; & in fallibilis promissio, vt ex alijs verbis Isaia: Leo Papa colligit. Cum conuersus ingenuus, tunc saluus eris: nam illa particula cum, & tunc indicant immediatam consecutionem sine mora. Denique ibi promittitur immediate salus, & vita animæ, & peccatorum remissio, sed hæc non promittuntur, nisi conuersioni perfectæ, nam imperfecta non sufficit, vnde respectu illius non poterat illa promissio esse infallibilis. Quia nec immediate, vt per se constat, nec mediate, quia propter nullam penitentiam imperfectam facta est promissio certa, & infallibilis dandi statim penitentiam perfectam, seu auxilium efficax ad illam, ergo nec remissio peccatorum, nec vita animæ. Quapropter, posita quacunque imperfecta conuersione, non potest Deus argui, quod in promissione deficiat, etiam si iustificatio non sequatur, quia illi penitentia non est venia promissa, & quod illa non sit perfectior, non ex Deo, sed ex libero arbitrio prouenit. Negari ergo non potest, quin illa promissio fiat homini contrito, seu perfectæ ad Deum conuersio. Vnde Patres de penitentia tractantes, illi dicunt esse promissam remissionem peccatorum, vt videre licet in Hiero. epi. 4. ad Rufin. c. 3. Aug. in Enchir. c. 64. Ambr. lib. 1. de Penit. c. 4. & alijs. Incredibile autem est, eos de sola imperfecta penitentia esse loquutos, cum soli perfectæ sit hæc remissio peccatorum absolute promissa, & ideo ipsi perfectam cordis penitentiam maxime persuaideant.

13. Secundo ex parte promissionis respondent alii dicentes, in huiusmodi locis non promitti remissionem peccatorum, sed declarari vim, & efficaciam, quam contritio ex se habet, ac si diceretur, si sol illuminauerit aerem expellentur tenebræ, vel si iustitia alicui infundatur, erit rectus, & amabilis Domino. Ita enim dicitur Ezech. 18. Si auerteris iustus a iustitia sua, morietur, quod tamen formaliter ex vi ipsius auersionis consequitur. Sic ergo cum dicitur, Cum homo conuertitur ad Deum, Deum conuertit ad ipsum, solum explicatur effectus formalis conuersionis ad Deum, nã illa met intrinsece includit conuersionem Dei ad hominem, quia non posset homo conuertit ad Deum, nisi Deus esset conuersus ad ipsum. Vnde Bern. serm. 83. in Cantico. Anima (inquit) reditus, conuersio eius ad Deum, vtiq; per dilectionem charitatis, per quam fit Deo conformis, vnde subiungit. Talis conformitas maritat animam Verbo. Et infra, Sic amare, nupsisse est, quoniam non potest sic diligere, & parum dilecta esse. Talis ergo conuersio hominis ad Deum includit conuersionem Dei ad ipsum, & hoc est, quod per illa verba declaratur, non noui beneficii promissio. Aliter potest hoc ex Augustino declarari lib. 5. Homiliar. in 34. cap. 4. circa eadem verba, Conuertimini ad me. &c. dicente, Non enim Deus conuertitur, & auertitur, manens corripit, incommutabilis corripit. Auersus est, quia tu te auertisti. Tu ab eo fecisti casum, non ipse à te fecit occasum. Audi dicentem, Conuertimini ad me. & ego conuertar ad vos, hoc est enim, conuertar ad vos, quia conuertimini ad me. In quibus verbis significat Augustinus, nihil aliud esse Deum conuertit ad hominem, quam hominem conuertit ad ipsum, nam eadem forma, quæ intrinsece conuertit hominem ad Deum, extrinsece denominat Deum conuersum, quia ex parte hominis tollit auersionem, quæ sola faciebat vt Deus non esset conuersus ad ipsum.

14. Sed hæc euasio in primis est contra communem Patrum expositionem, qui in similibus locis intelligunt contineri promissionem, vel decretum diuinæ voluntatis dandi indulgentiam vere penitentibus, ex quibus Augustinus in id Pl. 144. Misericors, & misera-

tor Dominus, longanimis, & multum misericors. Deus (ait) conuersioni tuæ indulgentiam promittit, sed dilationem tuæ demeritum non promittit. Et optime Fulgent. epi. 7. cap. 7. de Deo inquit, sicut per iustitiam damnat auersum, ita per misericordiam sanat conuersum. Eodemque modo alij Patres loquuntur, quos in dicta scd. 8. retuli, & plures refert Bellarminus supra, & videtur etiam communi sensu, & prædicatione Ecclesiæ ita receptum. Deinde verba ipsa cogunt, nam sicut hominem conuertit ad Deum est peculiari amore prosequi Deum, ita Deum conuertit ad hominem est illum nouo modo diligere, eo quod illum ad se conuersum videat, quod bene explicuit Augustinus supra per illam causalem, Conuertar ad vos, quia conuertimini ad me, & subdit inferius. Fugientis dorsa persequitur, faciem redeuntis illuminat. Differentia vero, quam assignat, est, quod homo conuertitur ad Deum per sui mutationem, Deus autem sine sui mutatione eo ipso, quod homo mutatur, nouo modo diligit hominem, ei benefaciendo, vel remittendo culpam, addito solo nouo respectu rationis. Idem ergo est dicere, Ego conuertar ad vos, quod ego vobis propitius ero, & in meam vos gratiam recipiam. Hoc ergo promittit Deus sub illa conditione, si homo ad ipsum conuertatur.

Et ideo dixit idem Augustinus libro 23. Quæstion. q. 68. quod licet peccator magno gemitu, & dolore penitendi misericordia Dei dignus fuerit, non ipsius est, qui si relinqueretur, interiret, sed misericordie Dei, qui eius precibus doloribusque subuenit. Parum est enim (ait) velle, nisi Deus misereatur, sed Deus non misereatur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit, quia in terra pax hominibus bene voluntatis. Quem locum recognoscens libro. 1. Retractat. capitul. 26. inquit. Hoc dictum est post penitentiam, nam est misericordia Dei etiam ipsam præueniens voluntatem, &c. Nihil profecto clarius dici poterat. Quocirca, quod Bernardus ait, per conuersionem ad Deum desponsari animam Deo, vtiq; ex parte sui consensus, & dispositionis intelligendum est, nihilominus tamen necesse est, vt Deus etiam sua peculiari dilectione conuertatur ad hominem remittendo culpam, & infundendo gratiam, per quam vinculum illud complectur. Denique in alijs locis euidenter promittitur specialis Dei misericordia, quam confert homini, cū ad ipsum ad se reuersum conuertitur, vt Ioel. 2. Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, & misericors est, & prastabilis super malitia. Quis scit, si conuertatur, & ignoret Deus, & relinquat post se benedictionem? Vbi tã noua misericordia, & distincta conuersio ex parte Dei esse censetur post hominis conuersionem, vt etiã sub quadam incertitudine prædici videatur, quod paulo post exponemus. Item in verbis illis Ieremiæ, Conuertimini, & sanabo vos, manifeste promittitur nouum beneficium, & nouus effectus ab ipsa conuersione distinctus. Et alijs testimonijs paulo post hoc ipsum confirmabimus.

His enim non obstantibus, adinuenta est alia expositio, nimirum, in illis locis solum promitti auxilium ad ipsammet conuersionem, ita vt perinde fuerit dicere, Conuertimini, & conuertar, ac dicere, si volueritis conuertit per me non stabit, nam ego vos iuua- bo, & ita propitius ero, auxilio meo vos ad me conuertendo. Non potest enim homo conuertit ad Deum, nisi prius Deus conuertat ipsum, iuxta illud, Conuerte me Domine, & conuertar: quando autem Deus conuertit hominem, iam conuertitur ad ipsum, nam ipsum diligere incipit, & ab illo suam iram auertit, iuxta illud Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis, vtiq; conuertendo nos, ergo cum Deus offert conuersionem ad hominem conuertentem se ad ipsum, non est necesse, vt aliam conuersionem, vel aliud beneficium illi promittat, præter opem, & auxilium ad ipsam contritionem, nam sicut homo cooperando contritioni conuertitur ad Deum, ita Deus iuuando peccatorem, vt conteratur, conuertitur ad ipsum, eumq; diligit, eiusq; misereatur.

Discrimen
inter con-
uersionem
peccatoris
ad Deum,
& Dei ad
peccatorem.

15.
Amplius ex-
uertitur.

16.
Tertia eni-
a.

Qui sensus videtur maxime indicari in verbis illis Eccl. 17. *Quam magna misericordia Domini, & propitiatione illius conuerſentibus ad se*: nam conuertere illos est magna misericordia, & propitiatione, nec ex vi illorum verborum alia est necessaria. Et hanc expositionem tradit Alenf. 4. p. q. 13. memb. 2. ad argumenta.

17. Verumtamen neque isto modo enervantur prædicta testimonia: nam (vt in materia de Pœnitent. anip. 4. in 3. p. 4. sect. 1. & 2. disp. 8. sect. 1. & 2. Expellitur. Optima ratio diluens tertiam eiusdem.) duo sunt dogmata diuersa, vnum est, posse peccatorem agere pœnitentiam cum diuina gratia, aliud est, si veram pœnitentiam agat, peccatorum veniam obtinere. Vnde vtrunq; est in Scriptura sacra promissum, seu reuelatum. Quapropter non sunt confundenda testimonia: in quibus vnum, aut alterum reuelatur, cum res sint diuersissimæ. Et licet aliquis locus patiatur ambiguitatem, & vnum, ac alium sensum admittat, tamē negari non potest, quin multa sint, in quibus supposita potestate, & auxilio ad conuerſionem, imo etiam supposita ipsa actuali conuerſione, seu dilectione, ratione illius remissio affertur, seu promittitur tanquam per dilectionem, vel contritionem obtinenda. Vnde conficitur euident argumentum: nam auxilium ad aliquem actum non potest dari sub conditione eiusdem actus, vel propter ipsum actum, cum, posito actu, iam supponatur datum auxilium, ergo id, quod promittitur, aliquid est distinctum, & posterius ipso auxilio. Atq; hoc argumentum confirmant testimonia, quæ adduximus, & multa alia, quæ in dictis disputationibus de Pœnitentia cum testimoniis, & expositionibus Sanctorum allegauimus. Maxime vero conuincunt illa testimonia, in quibus nouum gratiæ beneficium, & posterius tali auxilio, vel per illud impetratum verbis satis expressis declaratur. Vt cum dicitur Ierem. 3. *Conuertimini, & sanabo vos*. Et 1. Ioann. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis, & iustus est, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate*. Vbi Ioannes de vera confessione loquitur huc interna, siue etiam externa, & ad illam dicit consequi remissionem peccatorum ex fidelitate Dei, tanquam distinctum beneficium, & posterius auxilio, quod ad concessionem illam faciendam datum supponitur. Et hoc etiam satis conuincitur potest ex verborum proprietate: aliud est enim in rigore, & proprietate verborum remittere peccata pœnitenti, aliud iuuare illum ad agendam pœnitentiam, quæ distinctissime tradidit Concilium Mileuitanum cap. 3. ergo non sunt confundenda ad proprium Scripturæ sensum eludendum. Et hoc etiam confirmant verba illa Isai. 1. *Et venite, & arguite me, &c.* & illa Psal. 50. *Cor contritum, & humilitatum Deus non despicies*. Item illa Ioann. 14. *Qui diligit me, diligitur a Patre meo, vbi supponitur dilectio ex parte hominis, & consequenter etiam supponitur illa dilectio Dei erga hominem, per quam illum ad se diligendum mouet, & auxiliarius est, & nihilominus promittitur alia dilectio Dei maioris amicitiae, & stabilioris, vnde adiungitur, Et ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

18. Occasione autem horum verborum, & similium Quartaena dicunt aliqui, propter contritionem, vel dilectionem, & illius super omnia promitti quidem gratiam habitualement, & renouationem internam, atq; adeo propriam, ac permanentem iustitiam, non tamen propriam remissionem peccati, quod per ipsam dilectionem supponitur exclusum. Sed hoc facile refutatur: nam licet in vno, vel alio loco non fiat expressa mentio remissionis peccatorum, sed specialis dilectionis Dei inhabitantis per gratiam, vt in illis verbis Christi Ioannis. 14. tamen etiam peccatorum remissio in aliis locis expresse promittitur, vt patet ex verbis citatis. 1. Ioan. 1. Vnde sicut in his non excluditur gratia, licet taceatur, ita in aliis non excluditur peccatorum remissio. Vel certe in aliis locis promittitur gratia sanans animam, vt Ierem. 3. Isai. 30. Psal. 146. dicitur autem sanans, quia & dat salutem, & ægritudinem peccati excludit. Denique

ex vltima dixi) infusio iustitiæ, & remissio peccati mortalis, vel originalis sunt in iustificatione impii connexa, vt sint inseparabilia, & ideo sub vnius promissione aliud comprehenditur, & e contrario.

Tandem conantur alii vim testimoniorum effugere dicentes, quoties remissio peccatorum proponitur, vt beneficium distinctum promissum, vel oblatum vere pœnitentibus, aut diligentibus Deum, in se intelligendum id esse de remissione quoad penam, non quoad culpam, & quia pena æterna necessario tollitur, ablata culpa, oportet, vt id intelligant de remissione penæ temporalis. Et potest hæc responsio suaderi primo, quia sæpe in Scriptura significatur remissionem illam non dari certo, & infallibiliter post veram conuerſionem, vel contritionem, ergo signū est, non esse remissionem culpæ. Antecedens patet ex verbis Ios. 24. *Quis scit si conuertatur, & ignoret Deus, & Actor. 8. Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hac cogitatio cordis tui*. Secundo quia sæpe fit talis promissio potius operibus satisfactionis, quam contritioni, vel certe non fit huic finis illis, vt videre licet Isai. 1. vbi prius pollutantur illa duo in genere, scilicet, vitare malum, & facere bonum, & deinde in particulari multa opera misericordiae, & postea subditur. *Et venite, & arguite me, dicit Dominus, si fuerint peccata vestra, vt coccinum, sicut nix dealbabitur*. Et similia leguntur Ezechiel. 18. & 33. Tertio sumi potest argumentum ex eo, quod sæpe post contritionem postulat hæc venia peccatorum, vt postulabat Dauid Psal. 50. *Amplius laua me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me, & alia, quæ prosequitur.*

Sed neque responsio hæc sustineri potest vniuersaliter. Primo quia cum Scriptura loquitur absoluta, & simpliciter de remissione peccatorum, de remissione culpæ intelligenda est, præcipue, nisi ad aliam interpretationem vel grauis auctoritas, vel circumstantialiter necessario cogat. Quia hoc exigit verborum proprietates, quæ non est peruertenda, maxime in materia tam graui, & ad salutem necessaria. Alias cum dicitur baptismus dari in remissionem peccatorum, vel Christum dedisse Ecclesiæ potestatem remittendi peccata, posset quis illa de solis peccatis peccatorum interpretari, quod absit. At in allegatis testimoniis multa sunt verba non minus expresse, in quibus promittit Deus vere pœnitentibus, ac se ad ipsam conuertentibus, vel peccatorum remissionem, vel sanare, aut saluare, vel viuificare illos: quomodo ergo possunt hæc, & similia de remissione penarum temporalium exponi? Præsertim cum Ecclesiæ, & Patrum auctoritas contrarium sensum confirmet, vt ex allegatis, & citandis manifestum est. Præterea hæc promissiones sunt hominibus existentibus in statu peccati, vt excitentur, & ad suam conuerſionem animentur, ergo non potest illis promitti remissio penarum temporalium, nisi supponatur remissa æterna, & consequenter culpa, ergo respectu talium personarum necessarium est, vt prius promittatur remissio culpæ, & penæ æternæ. Vnde recte Ambrosius li. 1. de Pœnit. c. 4. obiter exponens verba Isai. 30. *Si conuersus ingemueris, saluus eris*, ait. *Expectat gemitus nostros sed temporales, vt remittat perpetuos: expectat lacrymas nostras, vt profundat pietatem suam, expectat conuerſionem nostram, vt reuertatur & ipse ad gratiam.*

Denique ex vltimo ipso possumus exemplis ostendere, ita se gerere Deum cum hominibus remittendo illis peccata propter dilectionem, vel pœnitentiam, nouam misericordiam illis conferendo, non tantum in remissione penarum temporalium, sed primo, ac præcipue in remissione culpæ, ergo ita sunt intelligenda alia loca, in quibus de futuro sub tali conditione remissio peccatorum promittitur. Assumptum ostendi potest in facto Magdalene Luc. 7. de 1. exemplum quia Christus dixit. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam*

am dilexit multum. Vbi sine dubio Christus loquutus est de remissione peccatorum, praecipue quoad culpam: nam, ut dixi, hoc proprie verba significant, & illam veniam maxime Magdalena quaerebat, & propter Dei offensam flectat maxime, & illam maxime obiciebat Pharisaeus, cum dicebat, *Sciret utique quia peccatrix est*: nam hoc nomen ex peccatis ut peccata sunt, comparauerat, & tamen remissio illa dicitur data propter dilectionem, ut verba Christi praeseferunt, & exposuit Augustinus lib. 50. Homil. in 23. & in libro sequenti ostendimus esse intelligendum de causa materiali, seu dispositiva.

22. Aliud exemplum sumimus ex facto Davidis 2. Reg. 12. vbi post reprehensionem Prophetae dicitur. *Peccavi Domino*, quae verba fuisse ex vera contritione indubitatum est, & tamen subiungit Nathan. *Domine quoque transiit peccatum tuum*, manifeste ostendens, hoc fuisse speciale beneficium, & magnam Dei misericordiam, quae maxime fuit in remissione culpae. Et hanc ipse David praecognoscit Psalm. 31. dicens. *Dixi Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*. Quae verba ita expendit Ambrosius in Apolog. David. p. 1. capit. 2. *Confessus ingemuit culpa dolore. Denique Dominum dolor intus mouet affectus, ut Nathan diceret. Quoniam penituit te, & Dominus abstulit peccatum tuum*. Quod & ibi, & capit. 7. in ieiunio prosequitur. Et eodem modo illa verba ponderat Basilus Homilia. 29. ex variis, quae est de poenitentia, vbi inducens hoc exemplum David, de illo ait. *Ad pharmacum properauit, vidit vulnus confugit ad medicum. Peccavit, inquit, & mox adhibita est medicina*, vbi clare distinguit inter medicinam adhibitam, & ipsius Davidis dispositionem, Et in ipsius Psalm. 31. eundem David introducit dicentem. *Ex mea accusatione multum fructum collegi, dedisti enim mihi peccatorum remissionem*. Idemque sentiunt ibi Augustinus, & Gregorius in Psalm. 2. Poenitent. & alii expositores, qui non solum specialem, sed etiam propriam misericordiam Dei observant in parcendo, ut propositum cordis statim comitaretur venia: Denique quasi generale exemplum per parabolam de filio prodigo a Christo propositum est Luc. 15. quam ita etiam ponderat Ambrosius libro secundo de Poenitent. cap. 3. vbi inter alia dicit, *cito veniam meruisse*, manifeste significans, veniam esse datam a Deo ratione contritionis, esse tamen beneficium distinctum ab ipsa.

23. Neque certitudini huius sensus obstat, quod interdum videatur talis remissio peccatorum cum dubio proponi, vel sperari. Primo quidem, quia ut diximus in Prolegom. 2. explicando particulam *forte*, illa non semper additur propter dubitationem cognitionis, vel euentus, sed propter aliquod mysterium, ut ad indicandam arbitrii libertatem, vel rei difficultatem. Vnde nunc addimus, in praesenti materia non poni verbum dubitationis propter incertitudinem, quae sit in remissione veniae, si habeatur contritio, sed propter incertitudinem ipsiusmet contritionis, nam ex parte hominis incerta est propter libertatem arbitrii, & ex parte Dei etiam est incertum, an sit elaturus auxilium efficax ad veram contritionem concipiendam. Iuxta quem sensum cum Ioel. 2. dicitur. *Quis scit, si conuertatur, & ignoret Deus*, intelligendum erit non tam de secunda, ut ita dicam quam de prima conuersione, & ignoscetia Dei, quae intelligitur esse in benigna concessione, & dono ipsiusmet poenitentiae. Et de eadem possunt exponi verba Petri Actor. 8. *Roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis*, non enim monet tantum, ut petat veniam post poenitentiam, sed etiam ut ipsam petat poenitentiam, cuius imperatio minus certa redditur propter resistenciam, quae esse potest ex parte liberi arbitrii. Adde denique interdum poni dubitationem hanc in remissione poenarum temporalium, ut Iona 3. Niniuiter vltimopauerunt illa verba. *Quis scit, si conuertatur, & ignoret Deus*, & c. quoad

impetrandam veniam, ut ciuitas non sabueretur, sicut Deus per Iona fuerat comminatus. Sicut, & David. 2. Reg. 12. dicens. *Quis scit, si forte donet cum mihi Dominus*, vere dubitauit de remissione illius poenae temporalis, quam re vera Deus noluit remittere. Hoc autem nihil obstat, quin remissio culpae sine dubitatione offeratur, vel promittatur veram poenitentiam agentem, vel in aliis locis, vbi particula dubitationis non ponitur, vel in eisdem, accommodanda enim est illa particula ad eum effectum, in quem cadere possit dubitatio.

Et idem cum proportionem dicendum est de locis, in quibus mandatorum observatio, vel opera satisfactoria postulantur, nam hoc cum commoda partitione intelligendum est. Ad remissionem enim peccatorum quoad culpam, & aeternam poenam haec postulantur in voluntate, & proposito, quod in ipsa contritione includi debet, seu in amore Dei, non in executione: ut autem plena sit remissio etiam quoad poenam temporalem, alia opera, & illorum executio postulantur. Vnde etiam non est dubium, quin a iustis petatur saepe venia peccatorum, sed illud etiam potest optime heri, & intelligi de remissione culpae: nam quia nemo est satis certus de sua iustitia, semper debet esse sollicitus de venia. Vnde David Psal. 31. postquam dixit. *Tu remisisti iniquitatem peccati mei* subdit. *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus*, id est, eandem remissionem semper petet, & de illa erit sollicitus. Hic enim sensus satis est & verbis, & contextui consentaneus, ac pius, & conformis Sapientis consilio. De proposito peccato noli esse sine metu, Eccles. 5. Vnde quamuis saepe iusti petant remissionem peccatorum quoad reatus poenarum, non excludunt remissionem culpae, sed vel illam supponunt, vel illam multo magis petunt subintellecta conditione, si illa fortasse non sunt consecuti. Est ergo solidissimum propositum principii, quod in Scripturis Sanctis docetur, remissionem peccatorum, & culpae mortalium esse peculiare beneficium Dei ab actu contritionis distinctum, quod media contritione, vel dilectione impetramus, non per ipsummet actum formaliter fit.

Secundo principaliter confirmatur eadem veritas, quia in Concilio Tridentino videtur expresse tradita. Primo in sess. 6. capit. 7. & canon. 3. vbi amorem, & poenitentiam, quae sunt ex auxilio gratiae, docet esse dispositiones, quibus a Deo obtinemus remissionem peccatorum, & culpae mortalium esse peculiare beneficium Dei ab actu contritionis distinctum, quod media contritione, vel dilectione impetramus, non per ipsummet actum formaliter fit. Vnde duplex sumitur argumentum, v. cil. Trident. num supra c. 8. tractatum, quod dispositio est ad formam, non autem est ipsa forma: aliud in testimoniis Scripturae tactum, quod per actum non impetramus effectum formalem ipsius actus, sed aliud donum. Eua- gio autem dicens, Concilium loqui de actu imperfecto, qui per se non sufficit disponere ad iustitiam extra realem susceptionem Sacramenti, supra reiecta est. Quia Concilium non loquitur de sola iustificatione, quae fit per baptismum in re, sed de illa etiam, quae fit cum solo voto, ut patet ex c. 3. & 4. illa autem iustificatio non fit sine perfecta contritione. Item quia loquitur de poenitentia ex amore Dei, haec autem est contritio. Neque obstat, quod non dixerit ex amore super omnia, quia satis est, quod loquatur de amore simpliciter, quia statim in cano. 3. loquitur de actu diligendi sicut oportet, & de illo dicit praeparare ad iustificationem sine ulla restrictione.

Ultra hoc vero est aliud eiusdem Concil. testimonium sess. 14. c. 4. vbi ait, fuisse omni tempore ad imperantem. Trident. alio dam remissionem peccatorum contritionis motum necessariu. loco hanc Nam si contritio impetrat remissionem, certe illa per sententiam de se non confert. Quam illationem cum P. Vazquez negare non potuerit, responderi multis modis ostendit. Vazquez dicit conatur, illa verba esse intelligenda de contritione imperfecta, quae est attritio. Sed nullo modo permittenda est interpretatio, ex qua in aliam sententiam declinat, ut neget contritionem perfectam esse dispositionem ad peccati remissionem, quod in lib. sequenti

24. Eodem modo alia Scriptura exponitur.

Basis.

25.

Exasio haec reuocatur.

26.

responsio non

sequenti reiciendum est. Nunc ergo, quod ad contextum Concilii spectat, certum est, in principio illius capituli in definitione contritionis non loqui Concilium de sola contritione imperfecta, sed in genere, & abstracte, tū quia definitio illa, quod si animi dolor, ac desectatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero, vritis contritioni, & melius perfecta conuenit, tum etiam quia postea in discursu capituli distinguit contritionem illam in perfectam, & imperfectam. Non est ergo illa descriptio ad imperfectam contritionem limitanda. Ergo cum immediate subiungit: Fuit autem omnitemporis hic contritionis motus ad impetrandam remissionem peccatorum necessarius, non loquitur de sola attritione, sed ad summum cum eadem abstractione, ergo erit illa propositio ad singula tempora, iuxta illorum exigentiam, accommodanda. At vero certum est, ante legem gratia, solam contritionem perfectam potuisse remissionem peccatorum efficaciter impetrare, nec minus certum est, illam fuisse illo tempore ad remissionem peccatorum consequendam simpliciter necessariam, ergo necessario intelligenda est propositio Concilii non de sola contritione imperfecta, sed etiam de perfecta cum partitione accommodata, ut dictum est, & iuxta exigentiam temporum, & iuxta modum iustificationis, id est, in omni tempore fuisse contritionem necessariam ad impetrandam remissionem peccatorum, perfectam quidem, ante Christi aduentum, & post illum, quando realiter non suscipitur sacramentum, vel martyrii privilegium: imperfectam vero, quando iustificatio fit ex opere operato. Vnde cum addit Concilium. Fuit contritionis motus necessarius, & in homine post baptismum lapsio ita demum preparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia diuina misericordiae, & voto prestandi reliqua coniunctus sit, qua ad rite suscipiendum hoc sacramentum (scilicet poenitentiae) requiruntur. In his, inquam, verbis iam certe Concilium de contritione perfecta tractat, loquitur enim de contritione, quae extra sacramentum preparat sufficienter ad iusticiam: addendo enim particulam, *Ex voto &c.* clare ostendit, se loqui de iustificatione extra sacramentum, quia votum respicit rem futuram non praesentem, contritio autem preparans sufficienter extra sacramentum non est nisi perfecta. Et ita de hac contritione loquuntur testimonia Scripturae, quae statim inducit Concilium. Et quia illa generalia sunt ad omnia tempora, explicat subinde modum peculiarem, quo hac contritio perfecta in lege noua iustificat, ita ut non illi soli, sed cum voto sacramenti remissio peccati tribuenda sit. Vnde nouum sumitur argumentum, quod contritio non faciat, sed impetret remissionem peccatorum, sicut in simili de baptismo capit. 8. diximus. Quod argumentum confirmat, quod idem Concilium sess. 6. capi. 14. dixit, poenam aeternam simul cum culpa post baptismum commissam remitti, vel sacramento poenitentiae, vel sacramenti voto: in hoc enim aperte sentit sicut remissio hac, quando per sacramentum in re susceptum datur, est effectus gratuitus ipsius sacramenti in re suscepti, ita cum datur per contritionem in voto sacramenti, esse effectum distinctum à contritione, & physico effectui eius, & attribuendum speciali modo sacramento, seu voto eius: constat ergo ex doctrina Concilii, contritionem non esse formam remittentem peccata, sed alio modo illam remissionem impetrare, seu ad illam disponere.

Roboratur
argumentum

Tertio possemus veritatem hanc Patrum auctoritate confirmare, ex quibus explicando Scripturae testimonia plures adduximus, & in libro sequenti ex Patrum sententia ostendimus, contritionem, & dilectionem esse dispositionem ad remissionem peccati, & in li. 12. simili er probabimus, mereri aliquo modo illam, saltem de congruo, vel impetrando illam, ex quibus principiis euidenter sequitur, non fieri per illam formaliter, illo vritis modo, quo nunc disputamus. Et breuiter addere possumus nonnullos, qui non so-

27.
Patribus
confirmatur.

lum misericordiae tribuunt dare poenitentiam peccatoribus, sed etiam dare peccatorum remissionem poenitentibus. Sic Augustinus in Enchirid. c. 65. Neg. de ipsi criminibus quamlibet magnis remittendis in Sancta Ecclesia Dei, desperanda est misericordia agentibus poenitentiam. Et subdit inferius. Non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris, cor enim contritum, & humiliatum Deus non spernit. Et Fulgentius li. 7. Ep. 7. c. 7. Iustus est Deus, & misericors, sicut potest per iustitiam damnare auersum, ita potest per misericordiam saluare conuersum. Similia videri possunt in Tertul. de Pen. c. 4. Ambrosio li. 2. de Pen. c. 4. Hieron. ep. 46. Consentiant etiam Scholastici, quos capite sequenti referam, & alios in dicta secta. S. retuli, & utroque etiam refert Bellarminus lib. 2. de Pen. c. 12. Superest ergo, vt rationem aliquam adiungamus. Et quia rationem, quam putamus esse à priori, capite sequenti explicaturi sumus, nunc vtor alia, quae ex principiis positiss defumitur.

Per eandem formam peccatum expellitur, per quam homo iustificatur, & sanctificatur, & filius Dei constituitur, sed forma, per quam iustificatur, & sanctificatur, ac filius Dei constituitur, non est actus transiens, sed forma permanens, ergo neque actus est forma sua natua vi expelles peccatum habituale, sed est iustitia infusa. Consequentia euidens est, & Minor probata est in capitulis praecedentibus. Maior autem ex dictis ca. 10. & 11. satis colligitur, nam totius iustificationis vna est forma, vt dixit Concilium Tridentinum, ergo eadem forma est, quae & confert positionem pulchritudinem gratiae, seu rectitudinem iustitiae, & quae malum contrarium expellit. Secundo idem probatur, quia peccatum actuale induxit, & reliquit in anima habituale inordinationem, & maculam, non tantum morale per relationem ad actum praeteritum, sed etiam physicam per realem priuationem notoris gratiae, & iustitiae inherentes, ac permanentis, sed tota hac macula non potest expelli per actum dilectionis, vel contritionis, ergo &c. Maiorem suppono ex materia de Peccatis, & ex dictis de iustitia inherente. Minor quoad expulsiōem maculae, quoad priuationem physicam manifesta est, & hac pars satis erat, quia non potest forma expellere peccatum absolute, & simpliciter, nisi restituat illi notorē gratiae intrinsecae, ac permanenti illi inherentem, & simili modo constituat illum iustum. Nihilominus tamen etiam quoad alteram partem moralem probari potest minor, quia peccator per actum suum, quem ex auxilio elicit, priuatur iustificatus sit, non potest satisfacere ad aequalitatem Deo pro iniuria, & offensa illi facta per peccatum, ergo neque potest per talem actum morale macula, & obliquitas expelli, quam peccatum reliquit. Sed de hoc puncto soluendo argumenta, & in capite sequenti plura dicemus.

Vltimo argumentor in hunc modum, quia remissio peccati est opus solius Dei, ergo peccatum expellitur per formam, quam Deus solus infundit, ergo non potest efficienter ab ipso met peccatore efficiente contritionem, quia licet illam faciat ex auxilio gratiae, nihilominus vere facit illam, ergo necesse formaliter per actus contritionis, vel dilectionis: nam effectus, quae formaliter facit formam, effectiue fit ab efficiente formam: Consequentia sunt manifestae. Antecedens autem in primis probatur ex ordinario modo loquendi Scripturae in locis antea citatis. Quamuis enim à nobis exigat conuersionem, quam facere non possumus sine Deo conuertente nos: nihilominus remissio peccatorum semper promittitur, vt à solo Deo praestanda, ideoque semper illi tribuitur, vel ministris eius in persona eius operantibus, quibus dictum est. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis. In quo potestari potest, nunquam esse dictum peccatori, si tibi remiseris peccatum, remissum erit, quod tamen vere dici potuisset, si suo actu ex auxilio gratiae facto posset à se expellere peccatum, quia etiam sacerdos non remittit peccatum, nisi supernaturali modo operando cum auxilio

xilio gratiæ Dei, Imo sacerdos solum id facit ut minister Christi, homo autem si suo actu à se expelleret peccatum, licet id faceret ex auxilio gratiæ, non operaretur proprie ut minister Christi, sed ut propria causa remissionis peccati, quod certe Scripturis non consonat. Vera enim in vniuersum est illa sententia. *Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?* Nam, licet fuerit à Pharisæis prolata, in ea non errant, sed in eo quod non cogitabant Christum esse Deum, ut notauit Augustinus lib. 50. Homil. homil. 23. c. 7. & 8. Vnde colligit, Magdalenam, accedendo ad Christum pro remissione peccatorum, iam agnouisse, & credidisse, illum non tantum hominem, sed etiam Deum esse, quia solus remittit peccata. Ergo (ut etiam Augustinus ibi sentit) Magdalenam diligendo non à se peccata expulit, sed ad Christum, ut sibi ea dimitteret, accessit.

30. Et rationem reddit D. Thomas lib. 4. contra gen. Ratio D. cap. 54. rat. 7. & sumitur ex Irenæo lib. 5. cap. 17. quia solus ille potest remittere peccata, quem peccando offendimus, & ideo illius debitores effecti sumus, hic autem est solus Deus, qui per Iaiam dicit. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Quæ ratio concludit supposito alio principio, quod homo non potest per suum actum Deo satisfacere. Quis enim potest remittere debitum non solum, nisi ipse creditor? Maxime cum debitum illud in suo ordine infinitum, & æternam penam mereatur, cui nihil condignum homo peccator rependere potest. Vnde recte Chrysostomus homil. 80. ad populum, peccatorem fictiorem introducit. *Totam vitam in peccatis absumpsi, & si penitentiam egero saluabor?* respondet. *Et maxime. Vnde constat? Ex Domini clementia.* Ne tua confidas penitentia, tua enim penitentia nescit tanta peccata delere. Si tua esset penitentia, iure timeres, sed postquam cum penitentia commissetur diuina misericordia, confide. Et ideo Bernard. ferm. 23. in Cant. dixit. *Sufficit mihi ad omnem iustitiam solum Deum habere propteritum, cui peccati.* Et Paulus Orof. in li. de Arbitrii libertate. *Liberari (inquit) à peccato, in potestate non habeo. Precari meum est, absolui non est meum.* Dicit autem precari esse nostrum, non quia fiat sine gratia Dei, sed quia non fit sine nobis, ergo intelligit liberationem à peccato ita esse à Deo, ut non fit à nobis, utiq; immediate, & effectiue.

31. Rationem hanc confirmat doctrina D. Thomæ. 3. p. qu. 86. art. 4. ad 2. ubi docet, remissionem peccati esse effectum gratiæ operantis quoad remissionem culpæ, & poenæ æternæ, quoad remissionem autem poenæ temporalis esse effectum gratiæ cooperantis, quia nimirum (ut declarat) remissio culpæ est à sola gratia, remissio autem poenæ est à gratia simul, & libero arbitrio. Cum ergo actus amoris Dei non fit à sola gratia, sed ab illa simul cum libero arbitrio, manifestum est ex sententia D. Thomæ, non esse illum actum formam remittentem peccatum. Et ideo recte dixit Soto lib. 2. de Natu. & grat. c. 18. Deum non remittere peccata per hoc, quod ipsum diligimus, sed per hoc, quod ipse diligit nos, nec ex merito nostri amoris (etiam si à Deo fit infusus) utiq; de condigno.

32. Ex his concludo vterius, & dico secundo, actum dilectionis Dei super omnia, vel contritionis non solum non tollere nunc, & de facto peccatum formaliter se solo, sed etiam non posse id præstare, neque ex se vim, seu efficaciam illam in ratione inhærentis formæ habere. Quia in præcedenti assertionem solum de facto loquuti sumus, hanc de possibili addimus, ut subterfugium aliquorum ex defensoribus alterius sententiæ præcludamus, qui ne videantur Concilio Tridentino, & communi sensui Theologorum repugnare, fatentur, de facto formam expellentem peccatum esse gratiam habitualement, nihilominus tamen actum de se ad id sufficere, & posse id præstare, si factum non inueniat. Quibus in primis obicimus, quod vel male in suæ sententiæ confirmationem Scripturam,

& Patres, ac præcipue Augustinum, & Bernardum allegant, vel ab eorum tandem sententia recedunt. Probat quia testimonia, quæ afferunt ad probandum actum dilectionis expellere formaliter peccatum, non loquuntur tantum de possibili, sed de facto, ut *charitas operit multitudinem peccatorum.* Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, &c. Et Augustinus cum dicit, charitatem esse iustitiam, & Bernardus dicens, amorem desponsare animam Deo, non de possibili loquuntur, sed de facto, ergo vel non loquuntur de causalitate formali, & sic male allegantur, vel si de illa loquuntur, ab eorum sententia recedit, qui negat actum charitatis de facto expellere peccatum, ut iidem auctores tandem negant.

33. Secundo, si actus dilectionis Dei innatam vim habet ad expellendum peccatum, cur, quæso, de facto illam non exercet, & peccatum delet? Respondent, quia talis dilectio procedit ab habitu gratiæ, & charitatis effectiue, & ita gratia habitualis prius natura infunditur, & expellit peccatum quam actus fiat, & propterea actus iam non expellit peccatum, quia inuenit expulsum. Neq; in hoc effectu habet locum replica superius facta, quod effectus eiusdem rationis potest per diuersas formas bis conferri, seu multiplicari, si diuerso modo fiat. Hoc enim habet locum in effectibus positiuis, de quibus supra loquebamur, non vero in priuatiuo, qualis est hic, de quo modo loquimur. Nam si forma semel est penitus exclusa, non potest iterum excludi, etiam si multiplicentur impedimenta, vel formæ impossibiles, quæ de se aptæ sint ad excludendum, nam de facto forma exclusa semper est eadem, & ideo postquam semel exclusa est, non potest iterum actu excludi. Ita ergo in præsententi dicent de peccato.

34. Sed hæc responsio non potest nobis satisfacere. Primo quia sententiam illam, quam supponit, quod prima contritio procedat ab habitu, falsum esse censemus, ut in li. sequenti ostendimus. Secundo quia illa responsio etiam supponit, primam contritionem ita esse posteriorem naturæ habitu, ut non sit dispositio præparans ad introductionem illius, neque in illo genere præcedet ordine naturæ efficiendo potentiam, quod est omnino falsum, nam infra ostendimus, contrarium doceri satis expresse à Concilio Tridentino. Et ideo Thomistæ, qui dicunt, actum illum procedere ab habitu, communiter non negant esse dispositionem, sed fatentur in aliquo genere prius naturæ præcedere. Hoc autem posito negari non poterit, quia actus ille, ut prior natura habitu, expellat de facto peccatum, si ex se hanc vim habet, quia si cur prius natura disponit, ita prius natura informat potentiam, quia non disponit illam, nisi constituendo illam, vel amantem Deum, vel detestantem peccatum, ergo etiam prius natura expellet peccatum, quam habitus introducat. Neq; obstat, quod illæ duæ formæ in aliis generibus causarum sint inuicem prius, & posterius natura, quia vel in genere causæ formalis respectu potentia non habent ordinem, vel, licet habeant, non est maior ratio cur vna prius, quam alia expellat peccatum, & ita in hoc effectu nulla præuenit simpliciter alteram, ergo de facto actus expellet peccatum, siue habitus etiam expellat, siue non.

35. Tertio principaliter probatur assertio, quia fere omnia, quæ ad probandum priorem assertionem adduximus, non ita procedunt de facto, ut fundentur in aliqua lege positiua, vel institutione Dei, sed in ipsa rerum natura. Huiusmodi est illa ratio, quod fundamentum actus habet aliud genus causalitatis respectu remissionis peccati incompensabilis causalitati formali eiusdem effectus, nimirum causalitatem dispositiuam, & impetratiuam, vel aliquo modo meritoriam. Dicit forte aliquis, hoc ipsum, nimirum, actum præcedere ut dispositionem, non esse ex natura rei, sed ex institutione Dei. Respondeo in primis, id non esse simpliciter

Retorque-
tur argumē-
tum in ad-
uersarios.

33.
Eufasio.

34.
Retectio illi
us.

35.
Præcipuum
conclusionis
fundamen-
tum.

Effugium
refellitur.
ter

ter verum, nam ille ordo est connaturalis talibus formis, & effectibus, ut postea videbimus: fateor tamen non esse ita necessarium, quin potuerit Deus illum ordinem immutare. Dico tamen, etiam si demus, illum ordinem esse ex institutione diuina, ex illo euidenter colligi naturam talis actus, & insufficientiam eius ad expellendum peccatum. Nam licet nunc insit potentia prius natura, quam habitus de facto non expellit formaliter peccatum, sed alio inferiori modo concurrat ad remissionem eius, ergo signum est, ex se, & natura sua esse insufficientem ad excludendum illo modo peccatum. Probatur consequentia, quia impossibile est formam inherere subiecto, & non dare illi effectum formalem expellendo formam, vel priuationem oppositam, quantum naturaliter potest, sicut est impossibile, lumen inherere aëri, & non expellere tenebras in eo gradu, quod potest. Et hoc maxime locum habet supra oppositam sententiam dicentem, actum dilectionis ita expellere naturam suam peccatum, ut ad hoc non indigeat diuina connotatione, vel remissione. Vnde vltius inferunt, etiam de potentia absoluta fieri non posse, ut, stante tali actu, non excludatur peccatum, ergo nec de facto fieri posset, ut actus existens in homine impetret, & non faciat remissionem peccati, ergo cum de facto remissionem impetret, ut docet Concilium Tridentinum, signum est, non habere ex natura sua vim illam, quam dicta opinio illi tribuit.

36.
Applicatio
secundæ rationis facta
in 1. Conclusionem.

Simili modo altera ratio sumpta ex insufficientia satisfactionis, probat insufficientiam talis actus ad expellendum peccatum non tantum de facto, sed etiam ex natura sua, & de possibili, quia si pro debito non sit æqualis satisfactio, impossibile est, tolli sine remissione, sed satisfactio æqualis per talem actum non potest ab homine adhiberi, ut capite sequenti ostendimus, ergo talis actus ex natura sua est insufficientis, imo simpliciter est impossibilis talis modus expellendi peccatum. Sed de hac ratione in capite sequenti plura. Nunc addo ex dictis in cap. 11. & 12. conclusa satisfactione perfecta non posse peccatum excludi per formam positivam siue sit actus, siue habitus, siue quæcunque alia forma creata, siue adiuncta remissione Dei. Quia ostensum est, expulsiōem peccati, ut peccatum est, esse mutationem distinctam ab acquisitione formæ, ac proinde expulsiōem peccati esse effectum distinctum speciali cooperatione indigentem, quæ non est alia, nisi remissio, ergo etiam ex hoc capite est impossibile, quod actus per se solum ex vi solius informationis physice peccatum expellat. An vero remissionem hanc ex natura sua coniunctam habeat? capite sequenti videbimus, ubi hæc omnia magis explicabuntur, & confirmabuntur.

37.
Satis sit
opposita
sententia
arguenda.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ fere patet ex dictis responsio, probant enim actum contritionis, vel perfectæ dilectionis esse causam remissionis peccatorum, & in suo genere sufficientem, non tamen probant esse causam formalem, & præsertim cum illo rigore, scilicet, per solam physicam adhesionem, seu informationem: in nullo enim testimonio ibi citato hoc exprimitur, imo neque inuenitur, neque etiam ratione aliqua probabiliter suadet. Quod certe facile patebit consideranti, quæ diximus: sed ut omnibus satisficiamus, & ut res fiat clarior, dicemus ad singula. In testimoniis ergo Scripturæ illud Petri, *Charitas operis multitudinem peccatorum*, à multis exponitur, & valde probabiliter, de alienis peccatis, non de propriis. Declarat enim Petrus tale consilium. *Ante omnia autem in vobismetipsis charitatem continuam habentes*, & subiungit rationem, quia *charitas operis* &c. id est, amor mutuus facit, ut unus, vel non videat defectus alterius, vel illos excuset, aut dissimulet aut occultet, quantum charitatis ordo permiserit. Ita Chrysost. hom. 4. in Acta, & Berna. ep. 7. & in eodem sensu eadē verba allegat August. li. 1. de Baptismo, & iuxta hunc sensum non procedit obiectio. Idem vero August. tract. 1. in 1. ep. 104. in-

Ad locum
D. Petri.

telligit illa verba de propriis peccatis, & est satis communis expositio. Sic autem charitas dicitur operire peccata propria, vel dispositiue in ordine ad remissionem culpæ, vel meritorie, & satisfactorie in ordine ad pœnas temporales, vel si sit magna, restituendo hominem ad Dei familiaritatem eo modo, quo supra diximus, per bona opera regi peccata. Et quod ille locus non amplius requirat, patet, quia loquitur Petrus de charitate mutua proximorum, quæ certe non remittit formaliter peccatum per dilectionem proximi, ut per se notum est, sed aliquo ex dictis modis, sicut eleemosyna dicitur extinguere peccata, vel sicut Christus dixit *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*.

Secundum testimonium de verbis Christi ad Magdalenam oppositum potius probat, nam ob dilectionem data est illi remissio, dilectio ergo illam impetrauit tanquam quid distinctum, ut supra cœgimus, & de illo plura in li. sequent. Idemque est de tertio, dicitur enim peccator per contritionem se viuificare disponendo se ad recipiendam à Deo vitam, & remissionem peccatorum, sicut etiam dicitur qui habet spem veram, sanctificare se, de quibus locutionibus etiam est in sequenti libro dicendum. Et in eodem sensu dixit Concilium Tridentinum, contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare, utique in suo genere causæ, quod genus jam aliis locis explicauerat. Nisi quis velit verba illa intelligere de contritione per se facta non solum charitate actuali, sed etiam habituali, nam tunc utroque modo reconciliabitur animam Deo, dispositiue quidem per se ipsam, formaliter autem per suam formam, quæ est habitualis charitas, in qua gratia subintelligitur.

In testimonio Patrum, primum Chrysostomi, & secundum Gregorii de metaphora ignis, parum valent ad probandam causalitatem formalem, magis tamen probant efficientem per quandam imitationem, ut est causa impetrans, vel meritoria; Et eundem sensum indicant in tertio testimonio Hieronymi verba *ablundi, & purgandi*. In quarto vero nomine Augustini locutio illa, *compunctio est remissio peccatorum*, causaliter accipienda est, non formaliter, quia formaliter manifestum est, non esse idem, genus autem causæ ibi non declaratur, ergo explicandum est iuxta alia principia vera, utique dispositiue, & eodem modo dicit, compunctionem peccatorum morbum expellere.

Et simili modo intelligi possunt aliquæ ex locutionibus Augustini, quæ in quinto loco citantur: cum enim ait, nos charitate sanctificari, si ad actus referatur, intelligendum est dispositiue, & meritorie, si ad habitum, potest intelligi formaliter, iungendo gratiam ad completum vinculum amicitie, ut supra explicatum est. Quod autem ait, per dilectionem nos redire ad Deum, propriissime dicitur ratione actus, quia per dilectionem conuertimur in Deum, & hoc est redire in ipsum, est autem illa tanquam via, & dispositio necessaria ad amicitiam ex parte nostra, & ideo verum etiam est quod Augustinus subdit, nos diligendo fieri amicos, nihilominus tamen ille actus non potest complere amicitiam, nec expellere peccatum, donec Deus ad nos per indulgentiam, & gratiam conuertatur. Denique vere dici potest de charitate, & actu eius esse formalem pulchritudinem animæ non integram, neque perfectam, nec quæ sufficiat maculam culpæ expellere: nam etiam fides, & spes, imo & omnis actus virtutis est quædam animi pulchritudo, non tamen integra, sed ex parte, & per se insufficientis ad constituendam animam sine macula mortalis culpæ.

Præterea quæ sexto, & septimo loco allegantur ex Ephræ, & Bernado, habent sensum causalem vitarum, & communem, & in ipsis et verbis satis indicatum. Nam cum Ephrem ait, *Compunctio illuminatio mentis est*, necessarium est causaliter intelligendum, nam compunctio non illuminat intellectum formaliter, ergo cum dicit, *Com-*

38.
Ad testimonium
magis alia
sententia.

39.
Ad testimonium
magis alia
sententia.

40.
Locutiones
Augustini
respondent.

41.
Alia
sententia.

Compunctio sanis animis est, idem est sensus, & vulgaris, nam pharmacum optimum dici solet salus inermi. Quod ipse satis explicat, addens statim. *Compunctio, fratres, remissionem peccatorum nobis ingerit conciliat.* Bernardus etiam satis eundem sensum declarat. Nam prius ait. *Per compunctionem, & lacrymas ordinare apud Deum remissionem peccatorum, & adhibet exemplum David, & allegat verba Natham. Dominus quoque, transiit peccatum tuum, utique propter compunctionem David.* Et post allegata verba subiungit. *Compunctio lacrymarum remissio est peccatorum, quia tunc peccata dimittuntur, quando cum lacrymis ad memoriam reducuntur.* Et denique omnia verba Ambrosii, quæ octavo loco allegantur, generalia sunt de causalitate charitatis ad delenda peccata, quæ nemo negat, sed de specie, & modo causalitatis est quaestio, & hoc non explicauit Ambrosius in illis locis. Quod pro aliis locutionibus Sanctorum Patrum observandum est.

Ad rationem primam illius sententiæ, quæ in illo principio nitetur, quod actus charitatis per se solus est forma sanctificans, & iustificans, negatur assumptum, nam supra ostensum est, non esse formam iustificantem, & inde concluditur non esse formam sanctificantem, quia sine iustitia ad Deum non potest esse vera sanctitas. Adde etiam sanctitatem animæ esse posse multiplicem, potest enim esse, vel integra, vel partialis, inchoata, vel perfecta, conferens puram aliquam bonitatem animam Deo consecrantem aliquo modo, vel excludens prorsus omnem malitiam. Actus ergo charitatis est quædam sanctitas inchoata, seu partialis, & in se purissimam quandam bonitatem habens, & per illam aliquo modo animam Deo consecrans. Hoc tamē totum non sufficit, ut sit forma peccati expellens, nam suo modo etiā fides est quædam sanctitas, à qua omnes fideles vocantur Sancti, & religio dici potest quædam sanctitas, & licet charitas in suo ordine sit perfectior, tamen ex ea parte, qua solum est pars quædam sanctitatis, & quatenus est in actu, non est sanctitas permanens, & est insufficiens ad sanctificandum simpliciter. Si vero antecedens illud intelligatur de integra sanctitate, & omnem malitiam à subiecto excludente, in illo sensu petitur principium, & probandum assumitur, nam illud ipsum est, quod negamus. Ad secundā rationem, quæ ex satisfactione ad æqualitatem fumebatur quia ex professo in capite sequenti tractanda est, nunc breuiter respondeo, negando priorem partem antecedentis, nimirum, contritionem esse æqualem satisfactionem pro culpa mortali. Ad probationem autē dicitur, quod licet contritio opponatur formaliter actuali peccato in ratione conuersionis, & auersionis actualis, & possit in aliqua bonitate malitiæ illius æquari, nihilominus in valore morali ad satisfaciendum deficit propter improprietatem personæ satisfaciens, ut ibi declarabimus. Et hinc ad alterā partē negamus contritionem de se habere tantum efficaciam ad reparandam omnem inordinationē peccati, quam tam peccatum de se habuit ad inducendam illam, quia si Deus non acceptaret contritionem, & gratis remitteret offensam, semper homo maneret illi iniustus, & odio dignus, quandiu illi digne non satisfaceret.

Ad id vero, quod ibi addebatur, sanctificationem per actum esse magis stabilem, quam per habitum, quia Deus non potest priorem auferre, nisi homo illam contritio actu delectat, posteriorem vero auferet omnino, si habitum non conferuerit. Responderetur in primis, dictū hoc falsum supponere, quia solus actus per se non iustificat, unde transacto actu manere potest homo non solum non iustus, sed etiam iniustus, etiā si Deus aliam iustitiam non auferat, sed ex eo solū, quod illam non conferat. Nam si homo ante contritionē, vel dilectionem erat in peccato, & Deus non remittit illud, iniustus manebit homo, si vero antea erat sine peccato, & sine gratia, in eodem statu manebit transacto actu dilectionis, eo ipso quod Deus non conferat

pars 3.

iustitiam habitualement. Nec sola relatio ad præteritum actū sufficit ad verū, & proprium statum iustitiæ. Et præsertim si Deus noluit illum actum acceptare, neque illo villo modo obligari, quia tunc perinde se haberet talis homo tam physice, quam moraliter, ac si nihil fecisset. Solum maneret in illo relatio rationis ad præteritum, & denominatio, quod illum actum fecisset, nam hæc indelebilis est. Tamen simili modo si Deus auferat ab aliquo habitualē iustitiam sine culpa sua, manebit in illo relatio, quod habuerit iustitiam, & quæ sine culpa illa priuatus fuerit. Et ideo si prior sufficeret ad constituendum vere iustum, hæc etiā sufficeret: unde etiam in hoc non est disparitas, nec in argumēto probatur. Aliunde vero iustitia habitualis natura sua firma, & stabilis est, nec auferri potest sine culpa, nisi per miraculum, & præter naturalem ordinem, in fluxum debitum tali formæ denegando.

Ad primam confirmationem de peccato originali responderetur, conuersionem actualem, & habitualement maculam originalis peccati esse diuersarum rationū, & ordinū, & ideo non opponi formaliter, ut illa hanc excludat, neque in actu hominis esse efficaciam ad inducendam formam illi maculæ contrariam, nec ad ita satisfaciendū Deo, ut remissionē eius ex iustitia obtineat, ut in sequenti capite videbimus. Ad alterā denique confirmationem de peccatore eleuato ad videndum Deum, responderetur, ex natura rei illi visioni deberi infusionem iustitiæ, vel antecedenter, vel consequenter, si autem Deus nollet illam conferre, talis homo vera non esset intrinsece iustificatus, an vero possit etiam in peccato manere de potentia absoluta, postea videbimus.

CAPVT XIV.

Vtrum actus perfectus infuse dilectionis Dei, vel contritionis, sit forma, cui propter valorem, aut perfectionem suam remissio peccatorum conaturaliter debeatur, & ideo dici possit formaliter excludere peccatum?

Diximus in superioribus, iustitiam inhaerentem esse formam naturæ suæ expellentem peccatum, huius, & licet id non faciat sine distincta mutatione, quæ sit superioris quasi destructio peccati, Deo concurrente speciali modo ad illius remissionē: unde licet in cap. præcedenti dictum sit actū contritionis, vel dilectionis Dei super omnia non expellere peccatū sine adiuncta Dei remissione, adhuc superest videndū, an sit talis forma, quæ natura sua habeat coniunctā immediate expulsionē peccati, & consequenter illi sit debita illius remissio ex natura talis formæ. Aliqui ergo, ut moderetur sententiam impugnata in capite præcedenti, dicunt, actū dilectionis Dei esse formam ex se se sufficientē ad expellendū peccatū, non quia id faciat sola physica adhesionē sine remissione Dei, sed quia hæc remissio debita illi est ratione suæ perfectionis, debito saltem conaturalitatis. Duobus autē modis potest hæc sententia explicari, seu fundari. Primo ut contritioni, vel dilectioni ex natura rei correspondeat remissio peccati, tanquam æquali & condignæ satisfactioni, & ideo sit ab illa prorsus inseparabilis. Secundo, ut licet ille actus in ratione satisfactionis non sit sufficiens, nec æqualis offensæ, nihilominus propter suam excellentiā & sanctitatē poluit remissionem culpæ, ut sibi conaturaliter debitam. Iuxta hos ergo duos modos possumus in præsentī duas sententias referre.

Prima opinio est, contritionem per se, ac necessario habere coniunctā remissionē peccati, quia est satisfactio iniuriæ Deo factæ ad æqualitatem eius. Hanc opinionem, quoad fundamentū eius de æquali satisfactione, tribuunt aliqui P. Vazq. in 1.2. disp. 204. Sed ille in eo loco suā sententiā tractat c. præcedenti accipi vult independentem ab altera quaestione de satisfactione

L

factione